

II C
1459

De statis propriis vero magistratus et principiis
magistratus et principiis recessione
atque magistratus et principiis recessione
huiusmodi etiam non aliis pro populo apud Romanos.

X 231 1843

Q. F. F. Q. S.

PSAESVLEM SVMME REVERENDVM
ATQVE MAGNIFICVM,
PROCERES, PATRES, PATRONOS,
NOBILISSIMOS, AMPLISSLIMOS,
MVNERIBVS ITEM AC MERITIS SVIS
MAXIME CONSPICVOS,
ET QVORVM, SECVM DVM DEVUM, OPE ET GRATIA
RES NOSTRA SCHOLASTICA NITITVR,
AVDIENDI FACILITATEM AC STVDIVM,
ALIQVOT FRVGI ADOLESCENTIBVS,
FVTVRO HVIVS ANNI TEMPORE,
MEMORITER PERORATVRIS,
BENEVOLE COMMODANDVM,
DECENTER AC IMPENSE ROGAT
M. SAM. MOLLERVS, G. P. R.

FREIBERGAE,

Imprimebat CHRISTOPH. MATTHAEI,

A. S. R. cl. I. cc. xxxiv.



Principes, quoniam moriantur, esse homines, in confessu est; sed quod ille, quo circum funduntur, divinus non immerito in homine splendor dicitur, quamque, quam Deus ipse habet, imaginem aliquam referit; infra equidem ipsius numen illi sum constituti, sed tamen plus quam humanam formam naturamque exhibent. Non natum ex cogitatumque in terris corundem nomen, sed coelitus esse demissum videatur, veluti & ipsa, qua armantur, potestas coelesti origine excitata, primum illorum facile autorem indicat, qui etiam, si quis idem contemtum & conculetum ire velit, vindicem atque afferorem hujus excellentiae agit certissimum. Rationem hujus asserti Aegidius Romanus, quem seculum suum Fundatissimum appellavit, in oratione, quam Patrum Sorbonnenfum nomine ad Philippum Pulchrum, Regem Galliarum, habuit, allegat: *Parens, inviens, rerum, Deus, cum genus humanum condidisset, summum quidem in illud imperium jusque penes se retinuit, sed ut mente in eum sublimes ferremur, ut illum cupidius quereremus, ut spe, ut votis incenderemur: idcirco in terris palam ipse degere, oculisque interea nostris conspicere noluit, regesque instituit, qui ejus vice munereque fungentur, quorum ut quisque probitate, quam proximam ad Deum O. M. accederet, ita verissime rex vocaretur.* Quam igitur dignitatem originemque divinam, utrum agnoscere velimus, nec ne, cum arbitrii nostri non sit, sed hoc ut faciamus, tanta, quam evitare possit nemo, incumbat necessitas: id potius queri debeat, qua ratione ista, ad quam obligamus, pietate recte possimus defungi. Sine capite enim ac Principe si foremus, timendum, ne beluino magis, quam humano more, vita nobis agetur: sed isto res dispensante, ea deum, per quam salvi, recti atque felices simus, non sine tamen laboribus periculisque innumeris, felicitas obtinetur. Cuivis autem, cuius affecti sumus beneficiis, ista ne in gravissimam injuriari verba videantur, tantum, quantum fieri queat, gratiae referimus, sique id recipia non possimus, habemus tamen, & quia bona in nos collata sunt, pia prædicatione memoramus. Quis vero melius magisque de nobis mereatur, quam Deus ipse, ac bonus, secundum illum, Princeps: quare nec illi etiam generis humani Parens optimus Maximus, ullum magis hominem, quam eum, qui ab se esset proximus, & cui partes quasdam suas ipse demandasset, observatum suspectumque velit. Præstabilimus id primo obedientia, deinde reverentia, qua ita quidem miscenda ac temperanda sunt officia, ut in neutro unquam deficiamus, utrumque vero ad ipsam Dei majestatem submittamus; qui, cum ipse primas teneat, secundas tamen suis optionibus, atque ita, ut intemeratae ac perpetuae essent, partes delegavit. Parendum est his, quorum blandum ac mire est imperium; nec minus illis, qui aspera & duriora injungant, & terrore magis, quam humanitate jus suum captent. Utrisque tum animi æquitatem, & moderationem, tum ista debemus subsidia, quibus res constitunda, erigenda, & sustentanda est. Triste ac abominandum illud carmen est, quod inlementiores quandoque Principes tyrannos appellat, inque corundem mores ac vitam indignis modis invehitur. Patres sunt isti, esti vel iniquiores videantur, communes, ac patria; hinc amandi, non sinistris onerandi sunt judicis: defensores ipsi, atque conservatores salutis sunt publicæ, quæ quidem & recte stimanda, & pie veneranda sunt merita: & si, (quoniam nemo ad huc extitit, cuius virtutes nullo vitorum confinio laderentur,) suis etiam quibusdam malis urgeantur; hæc excusanda magis ac ferenda, quam sermonibus, criminationi-

tionibusque multis, insectanda sunt; quoniam & ista, quam adhiberi fas est, reverentia candorem, qui excusat arque ignoscat, cum primis exigit. Eniteat hic passim amor, eniteatque in omnibus: sed preces simul, & vota nuncupanda sunt, ut, salvus ac lospes Princeps sit; ut diu, utque feliciter imperet; ut, quae adversa sunt, minuantur, secunda augescant, ipsaque res publica, si langvetat, vel fauca sit, ad fidem, opesque ac praefidia ejus confugere possit. Tale hoc est officium, quale omnes, si modo velint, diligenter sancteque servare queant; quoniam nec censum illud, nec impensam postular, sed in sola animi religione, ac studio recto, sicut est, ejusque implendi vires omnibus suppeditatae sunt. Idcirco & nullus unquam facilis tam barbarus, tamque immanis fuit populus, quin & magistratus haberet suos, & digno eosdem culu afficeret, ac omnibus tandem, que humana capit conditio, bonis ac muneribus cumulatos esse veller. Et rem si bene reputemus, mutua quandoque ita litanium precantiumque, in populis cultioribus, fuit quasi concertatio: vota enim, pro magistratu ac principe, feci populus, magistratus ac princeps vicissim pro populo: quoniam si vel alterutrius partis habet fortuna, altera non possit non simili affligi, quare etiam, ut uariae salva sit, omnium inter eis. Quantum Augustus Imperator amaret populum, & quam saluum felicemque istum vellet, restaturus, *Salutis ea de causa ipse augurium restituit*, quod quidem per annos XLIV, a Ciceronis & Antonii consulatu, omisum fuerat, de quo Sverton. in Vita, cap. XXXI. Idem cumdeinde, per XXV annos, augurium ceslavisset, Claudio repetiri, idque postea continuari placitum. Vid. Annal. Tacit. Libr. XII. Sed quid Salutis est augurium, de eo Beroaldus, in Commentationibus ad locum Svetonii allegatum, hunc in modum locutus est: *Dion autor est, & Ianum ab Augusto clausum, salutisque augurium factum, quod fuerat iam antea multis causis omisum:* & rursus: *tum vero salutis augurium, quod appellant, longo intervallo fecerunt.* Est autem modus augurii quispiam, ut, si Deus permittat, salutem populo poscent: quasi ne salutem quidem a diis petere fas sit, ni prius hoc ipsum diti concesserint: *bacille.* Pro magistratu ac Principibus vicissim populi sapientis vota suscepta sunt; itaque pietas alia *privata* erat, alia *publica & solennis*; alia sic libera, ut ad certa nunquam tempora, & loca alligata esset, alia vero, vel *lege*, vel etiam *consoertudine definita*; alia *subitaria*, & *extra-temporalis*, quam calor mentis ac amor, vel etiam placendi studium exprimebat, alia *meditata* & *bene cogitata*. Reversus ex Germanis Trajanus Imperator, cum capitolum intraret, tam recens circumstantium clamor, tantaque fuerunt gaudia, ut plena altaris, augulta victimis effuse eundam, urque in unius salutem omnium vota conferrentur, cum sibi se, ac liberis suis rogare intelligerent, que pro ipso, tantaconfiguratione facta, essent precati. Plin. in Pan. c. 23. Forte Puteolanum sinum Augusto præterveniente, vectores naueque de navi Alexandrina, qua tantum quod appulerat, candidati coronarique, & thura libantes, saufa omnia & eximias laudes congesserant, per illum se vivere, per illum navigare, libertate arque fortunis per illum frui. Svet. in V. c. XCVIII. Nullus fere subitis acclamationibus accommodatior locus erat, quam circus & theatrum: quo venientes populum salutabant Imperatores, eique foedo sape adulacionis genere se submittebant; ubi & populus eosdem solennibus formulis, & clamore, vicem expleturus, excipiebat, &, quoties data esset qualiscunque materia, iisdem maxime applaudebat. Sibi magis, quam aliis intentus, haec tacite vidit audiretque Seneca Epist. LXXXIII. *Ecce circenium, inquiens, obstreptus clamor, subita aliquo, & universa voce feruntur aures meæ, nec cogitationem meam executunt, nec interruunt quidem: frenitum patientissime ferro, multæ voces,* & in unum confusa pro fluctibus miki sunt, aut vento silvam verberante, & ceteris sine intellectu sonantibus. Abhoruisse ab iisdem vocibus

cibus Claudio videtur, qui melior quandoque Imperator fuit, quam dicitur. Edidit enim, pro salute ipsius, Nero, post paulo successor factus, circenses ac venationem, ut Sveton. in Vit. Ner. c. VII. commemorat: sed ille, referente id Dione, ne ipsis gladiatores committerentur vetuit, & si quid ejus, pro salute ipsius, factum esset, ne quis ea de re, aut loqueretur, aut scriberet. Sed unice his acclamacionibus Domitianus delectatus est; & quod ille nulla sua virtute honoratus erat, ex ipsa plebecula, & parasitis, decus captabat fibi, & acclamari etiam in amphitheatro, epulari die, libenter auditi: *Domino, & Dominae, feliciter!* Tempus, solemni more, huic cultui destinatum & constitutum si spectemus, tali istud plerumque fuit, quod vel omnibus, vel Principi praeferim, latum esset ac festum, sumis ad hanc sacra, vel ipsis *Initiis Januarii*, vel *Natali Principis*, vel *eo, die, quo bie imperium inierat*, vel *quodam alio*, quo de hoc officio, causa quadam evidentiore, admonerentur. Statim itaque, pro Principe, votis primum assignata fuerunt initia mensis Januarii, atque ipse ejus calenda tam sacra, tamque religiosa sunt habite, ut nihil triste, nec publice, nec privatim, audiatur, omnia vero latus verbis ac bene ominatis perstrepent. Et si recte rem reputamus, facta sunt eo tempore, que proprie si dicentur *Solennia*, omnibus id curantibus, ne quid omitteretur, ex quo grata pietate mentis aliquod extaret monumentum. Plinius, si quis aliis, hujus solennitatis fuit certe obseruantissimus, *Solennia*, qui ait, *vota pro incolumitate tua, qua publica salus continetur, & suscepimus, Domine, pariter, & solvimus, precati Deos, ut ve- lint ea, semper solvi, semperque signari*. Libr. X. Ep. ad Trajanum XLIV. Sed cum omnia, ceremonia tanta, ipsis Calendis fierent, tamen pro Principibus potissimum III. Nonas concepta vota esse, Plutarchus monet, in Vita Ciceronis, p. 861. Editum enim serum Ciceronem facili partu, & nullo matris dolore, tertio Nonas Januarias, quo die magistratus nunc vota faciunt, & sacrificant pro incolumitate Principis. Et Cajus lege 233, de verb. signif. *Post Calendas Januarias die tertio, pro salute Principis vota suscipiuntur*: item, *Vota hunc dictum esse diem, Capirolinus in Pertinace dicit: Tertio Nonarum die, Votis ipsis.* Duo autem eo potissimum tempore agebantur; primo enim nuncupationes faciebant quisque pro salute & incolumitate Principis; deinde & iusjurandum Senatores & Praetori dicebant, sumebantque solemnitatem, tam in castris, apud signa, quam in Capitolio, universi pietate certantibus. Hunc migratio mōrem, sub Imperatoribus truculentioribus, quandoque capitale fuit. Thrasea certe, quo, ad postremum trucidato, Nero virtuem ipsam exscindere concupivit, hoc, cum ceteris objectatum: illum, principio anni, vitare solemne iusjurandum; nuncupationibus votorum non adesse, quamvis quindem in virali sacerdotio praeditum: nunquam pro salute Principis, aut coelesti voce immolavisse. Tacit. Libro XVI Annal. Non dubitaverim, eadem mente hunc suife Thraseam, qua erat Subrius Flavius, Tribunus, qui interrogatus a Nerone, quibus causis ad oblivionem facientem processisset? Oderante, inquiēbat: *nec quisquam ibi fidelior militum fuit, dum amari meruisti: odisse coepi, postquam parricida maris, & uxoris, auriga, histrio & incendiarius existiſſi.* Tacit. Annal. L. XV. Offensus ille est, quod honos iste aque cultus omittitus esset; successit alias, invidia oestro percitus, quod ille non sibi soli, sed alius simul esset habuimus, quos quidem simulato amore complectebatur, sed, quoniam virtus eorum ipsi obfutura videbatur, de medio jam pridem recepsisse cupiebat. Cum enim Tiberius Imperator ex Germanico tres nepotes, Neronem & Drusum & Cajum; ex Druso unum Tiberium haberet, defititus morte liberorum maximos natu de Germanici filios, Neronem & Drusum, P.C. commendavit, diemque utriusque tirocinii, congiario plebi dato, celebravit. Sed ut comperit, in cuncte anno, pro

ay in beli di alluvionda *admodum uoluntate am. diversi* *B. corum*

adie

50

eorum quoque salute publice vota esse suscepta: egit cum Senatu: *non debere talia premia tribui, nisi expertis & etate procellis.* Sibi enim adimi, quod his datum esset, arbitratus, damnavit hoc factum Senatus, quod a culpa aberat; quodque Principibus istis iuventutis minus imputari poterat, eorum sic exitium maturavit, de quo I. c. Sveronius. Annis renascentis initis par habiti dies natales sunt, quoniam, veluti itis quasi universi, ita his singuli novum vivendi ordinem, non sine bonis omnibus, qua cuni fortuna cujusque convenire poterant, inchoarent. Non modo Lucina, Vagitanus, Levanius, Cuninus, Rurnna, Potina, Edulca, Cuba, Geniusque, & alia deorum dearumque nomina repetebant assidue, sed & si persone, qvarum haec sacra natalitia obeunda erant, effent illufriores, longius irum est. Atque tunc etiam, in colendis Principibus, quod & ipfis Januarii Calendis, vel postea, observabatur, haec sola, qua secunda & grata forent, admissa, nihilque gestum, dictumve, quod istius diei gaudia contaminaret: quare & Philo Judaeus, contra Flaccum: *Bonis ac bene administratis Præsidibus mos est, in neminem damnatum animadverte, donec solennes celebritates, natalitique dies Augustorum preteriissent.* Primum equidem haec ipsiis veneratio virtutis ac amoris causa est præstata; hinc eadem timor magis expressit, elicitque adulatio: quare, qui palam bene precari videbantur, sensus sapientis abditos contrariosque corde premebant, eosque tacite volebant perditos, quibus lingua sic blandiri consueverant. Pro meritis autem Augustus quantopere dilectus sit, vel ex hoc, præteralia, astimare facile est, quod Equites Romani natalem ejus sponte, atque consensu, biduo semper celebrabant, omnesque ordines quotannis, ex voto, in lacum Curii, pro salute ejus stipem, jacebant; Kalendis item Januarii strenam, in Capitolio etiam absenti dedicabant: revertentem vero ex provincia, non solum faustis omnibus, sed & modulatis carminibus prosequabantur. Sveton. in Vit. Cap. LVII. Tanta locorum intercapitata disjunctus Poeta ille Stilmonensis, cum doloris multum, parumque de quo latari posset, habebet, levato sui animi moore, hujus infiniti memor, sacra, Seythas inter eo tempore more ista egit. Romano, litansque solemniter & sacrificans haec de se, Libr. IV, ex Ponto, Ep. IXV. 105. & seqq. referri:

Nec pietas ignota mea est: vider hospita tellus,

In nostra sacrum Caesaris esse domo.

Sicut pariter natusque prius, conjuxque sacerdos,

Numina jam facio non leviora Deo,

Neu sit pars ulli domus, stat uterque nepotum:

Hic avie lateri proximus, ille patris.

His ego do roties cum thure precantia verba,

Ego quoties surgit ab orbe dies.

Tota, licet queras, hoc me non fingere dicet,

Officii tesis Pontica terra mei.

Pontica me tellus, quantis hac possumus ora,

Natalem ludis seit celebrare diem.

Quo vero testator hujus rei esset memoria, sicut, post data ejusdem Augusti, qui invaderet, ut omne tempus, a primo die natali, ad exitum ejus, seculum Augustum appellaretur, atque ita in fastos referretur. Svet. in V. Aug. Cap. c. Tiburius contra ea, ne cum eo aliquid forsan communie videretur habere, vel quod mens, non adeo se dignum pari esse honore, moneret conficia, Natalem suum plebis incurrentem Circensibus, vix unius bigæ adjectione honorari passus est. Idem in V. Tib. c. XXVI. De Caligulae natali minus aliquando co-

gitatum fuit, ipseque, hæc omissa esse solennia, non succensuit tantum, sed ipsam quoque hanc negligentiam severè ultus est. Consulibus enim de isto edicere oblitis, abrogavit magistratum, fuisse per triduum sine summa potestate res publica. Idem in V. Calig. c. XXVI. Claudius istum maxime honorem ab se in patrem convertit: parentibus enim inferias publicas; & hoc amplius, patri Circenses annuos natali die: matri carpentum, quod per Circum duceretur, & cognomen Auguste, ab avia reculatum, decernendum decrevit. Idem in V. Cl. audii c. XI. Quo animo in Trajanum, natali ejus, Plinius fuit, eodem erant omnes; ipsi verba praibat, iti proprobabant, Cæsarque vota agnoscebat, de quo Libr. X. Ep. LXXXIX & XC. Opto, inquit ille, Domine, & hunc natalem, & plurimos alios quam felicissimos agas, eternaque laude florentem virtutis tue gloriam, & incolamis & fortis alius super alio operibus augeas. Paucis illis pauca reddit Cæsar: agnofo vota tua, mi Secunde carissime, quibus precaris, ut plurimos & felicissimos natales florente statu rei publicae nostræ agam. Eadem porro sanctitate, initi imperii culta fuit memoria; ac dies ille, quo sumunt acceptumque id esset, non sacer modo, sed & natali ipso, velob hoc augustinor fuit habitus, quo publica fatus privata est porior. Rem si Romanam confideremus, primus Augustus fuit, ad quem imperii summa omnis redierat: primus & ipse fuit, cui honor iste Imperatori, die suscepit imperii, praestabatur. De cultu vero fatis licet constet, tamen de tempore ipso, quo imperare hic coepisset, in diversa plerique scriptores abeunt. Alii enim his auspiciis diem IV. Nonar. Sept. constituant, quo ad Actium promontorium, Antonio vieto, solus rerum potitus fuerat. Alii sexti consulatus honores, mense Ianuario suscepitos, eo referunt, ac diem præcipue VII Eid. ejus mensis, quia & tunc Augusti cognomen adeptus esset: quod Lipsius quidem in Comment. ad Libr. I. Annal. Tac. lapide quadam Narbonenii probaturus est, qui hanc habet formulam: VII. QVOQVE. IDVS. IANVARIAS. QVA. DIE. PRIMVM. IMPERIVM. ORBIS. TERRARVM. AVSPICATVS. EST. THVRE. VINO. SVPLI-CENT. Alii diem XIII. Calendarum Septembrios, quo primum consulatum iniecerat, & primus ille, ad tot felicitates, adiutus fuerat patefactus, huic clabunt solenni: cumque eodem die evitis exceperit, illi maxime, qui placido & tranquillo ejus imperio letati fuerant, id mirabantur, quod idem dies accepti imperii princeps, & vita supremus, quodque Nola in domo & cubiculo, in quo pater ejus Octavius, vitam finivisset, atque tanto sanctius iñius diei memoriam custodiabant. Tacit. L. I. Annal. p. 3. Trajanum, usi pleno adeptum imperium, forte & hilarem & privatim & publice esse jubet Plinius, Epist. I. Libr. X. Iterum hanc fe diem, solenniter, & tanta, quanta mercede, latitudo celebravisse minister hic conjunctissimus profiteatur, Libr. X. Ep. LX. precatus deos, ut istum generi humano, cuius tutela & securitas salutis ejus innisa esset, incolumem florentemque praeflarent. Prævixit & tunc, commilitonibus idem, & provincialibus, iurandum more solenni praefabantur, ac urrisque pietate certantibus. Porro iidem, hunc diem, quo tutela generis humani felicissima successione in Trajanum translata fuerat, debita religione celebrarunt, commendantes diis, imperii autoribus, vota publica & gaudia. Libr. X. Ep. 103. In panegyrici c. XCIV. simplex, cunctaque complexum unum omnium votum est: SALVS PRINCIPIS. Si quis autem alias principes filios felicesque velleret esse, de eo, cogitarunt iam olim Christiani præcipue, quorum disciplina eosdem, meliora longe doctos, ad hoc etiam formabant, uti & ipsos hostes amarent, & pro regibus, cujuscunque illi essent progeniei, preces ad Deum allegarent. Testatur hoc Arthenagoras Atheniensis, in fine supplicationis ad Imperatores Antoninum & Commodum, ita locutus: *Vos igitur, qui in omnibus, omni modo, tum natura, tum institutione boni*

boni, moderati, humani & imperio digni estis, milibane, & cum objecta confutari, quod nos pri, iusti, & animo temperati sumus, demonstraverim, regali capite annuite. Quos oblinere iustius est, quod petunt, quam nos? qui pro imperio vestro oramus, ut & filius a patre, sicut aequissimum est, imperium per manus accipiat, & ipsum imperium vestrum, subiectis omnibus, incrementum & accessum capiat. Consentit cum isto, qui postea vixit, Tertullian. Apologet. cap. 39. Coimus, inquietis, in coem & congregationem, ut ad Deum, quasi manu facta precatiobibus ambiamus orantes. Hac vis Deo grata est. Oramus etiam pro Imperatoribus, pro ministris eorum & potestatibus, pro statu seculi, pro rerum quiete, pro mora finis. Dixerat iam his ille similia, c. 30, ex quibus perinde pareat, quantum Christiani Principibus vitam prolixam, imperium secundum, dominum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quemque alia, hominis ac Regis vota esse queant, precari sint. Nec dies istos, Principibus geniales, omisisti Christianos, ibidem ipse probat; idque eos sanctitate magis, ac puritate mentis, quam ludorum apparatu, aut munerum splendore, mullo autem minus, dissoluta quadam animi remissione commendabiles, fecisse hanc obscurae indicat. Preces enim castas, & vota pia laudat, ita differens: *Vere religionis bonines etiam Solemnia Imperatorum conscientia potius, quam lascivia celebrant: sed que superstitione, quaque impia erant, ipse Christianus sic increpat: Grande videlicet officium focus & choro in publicum educere, vicatim epulari, civitatem taberne habitu abolefascere.* Haccine solennes dies principum decent, que alios dies non decent? O nos merito damnando! cur enim vota & gaudia Caesarum costi & sobrii & probi expungimus? Qualis esse vellet, ubi hoc ab ea exactum esset officium, Prudentius, quaque pro salute Principis esset precaturus, ipse declarat Peristeph. vers. 420, cum seqq. Sed ubi quies demum Christianis data fuit, talesque ipsis praesette ceperunt Imperatores, qui & ipsi Christianum novissent, ac profiterentur, omni omisso ritu pagano, longe intentius res suscepimus, & fine hostis infidianeis periculo continuata est. Hic enim antiquum illud nobis, & pluim, recordari πολυχρόνιον concessum est, cuius tunc in primis usus confirmabatur, quando Roma ipsa, cuius non adeo facile ritus detestandi everti poterant, migrata, Conflantinopolis Christianorum, ante afflictissima, in melius converti coepit. πολυχρόνιον idem est, ac si dieas multi, temporis perpetuitatem: eratque illud eiusmodi Graecorum hymnus, quo Deo O. M. ipse, pro longa Imperatoris vita, felicique rerum successu, voce ac pietate concitata supplicabant. Quod enim in legis atque edictis fieri solitum, ab a prima voce nomen saepe obtinerent, idem & hic concitat, quippe ab isto initio ipsa appellatio formula adhuc sit, qua sic canebatur: πολυχρόνιον ποιησε ο Θεος. Ιαν αγιας βασιλείαν σε, εις πολλά, την. Vid. Georg. Codm. in officiis aulae Constantiopolis. Formatum inde fuit ipsum τὸ πολυχρόνιον, & πολυχρονεῖα, quod & ἐν θρηνῷ quandoque dicitur, hoc est, bona & auxiliata verba facere, seu virtus diuturna fruitionem in acclimationibus publicis apparet. Allegat, in Glossario, ad Scriptores media ac insigne Gracitatis du Fresne, Typicum S. Sabatini, c. XXXII. haec habentur: καὶ μέτα τὸ γέλος πολυχρονίου τὸς βασιλείας, καὶ τὸν προεπωταν καὶ ποιῶν γέλειν απλυντιν. Atque hinc factum ita, ut apud Damascenum Studitiam, Homil. 22, & 25, ipse Imperator, in reliquo bene ominatus tirulus, etiam πολυχρονίου βασιλείον appellaretur. Orditi hoc carmen in ecclesia, τὸν ψαλτὸν, cantorum erat officium, quorum ibi plures, & tantum aliquando numerus auctus erat, ut ab Iustiniano ille necessario ad paucitatem eam, quia ramen negotioris sufficeret, redigeretur. *Sancimus*, verba ejus sunt, Novell. III. ne in sanctissima magna ecclesia plures sint, quam LX Presbyteri, Lectores vero CX, & Cantores XXV.

Hi proinde cantionum faciebant initia, easque moderabantur, sed & laici quo minus concinserent, non erat vetitum. Nec tamen quotidianum erat, sed in Liturgia, & salutatione aliqua solenni, maxime hoc officium obtinebat: nempe *sacra sancto Nativitate Christi tempore*: præterea *die Luminum*, hoc est, baptismi Servatoris nostri placidissimi die, qui Januarii sextus est, quod quidem Gregor. Nazianzenus. Orat. XXXIX. demonstrat, hæc inferens: *Sanctus luminum dies, ad quem pervenimus, quemque bode divino beneficio celebravimus, pro principio quidem Christi mei, hoc est, veræ lucis, omnem hominem in mundum ventientem illuminantis baptismum habet.* Vid. Svie. Thesaur. Ecclesi & posthæ solennis *Paracœves tempore*, quo reliquum omne cessabat opus, ut ipsa meritorum & laborum Christi memoria esset venerabilior. Rem hanc, in Archieratico Harbertus talen in modum descripsit: ὅπως πολυχρόνιστοι τέλε βασιλεῖς, καὶ τὸ περιέρχον, ἐπὶ τῷ μεγάλῳ ἐκκλησίᾳ, καὶ τὴν ἑορτὴν τῶν χριστιανῶν, καὶ τὸν Φαῦλον, καὶ τὴν μεγάλην παρακαταστήν. Πολυχρόνιον ποιήσει ὁ Θεός τὴν ἀγίαν βασιλείαν αὐτῶν εἰς πολλὰ ἔτην. Πολυχρόνιον ποιήσει ὁ Θεός τὴν κατανακτηθήσανταν βασιλείαν αὐτῶν εἰς πολλὰ ἔτην. De leto nascientis Christi sic agit Codinus: εἰσέχονται καὶ οἱ φάλαται, καὶ πολυχρονίζουσι φάλατες, καὶ μετ' αὐτῷ τὸ κοινάνιον, η παρέθεντο σημερον τὸν υπεράσπιον τίκτει, καὶ πάλιν τὸ πολυχρόνιον. Sic igitur, præstante palite, in Ecclesia magna Constantiopolitana res hæc curata est: alia vero Palatina, sive aulica erant ceremoniz: & cum festis salem, quos allegavimus, diebus illis, hoc πολυχρόνιον, sic ingeminatum rotiesque solenniter repetitum esset, alio plerumque tempore, aliisque factis acclamationibus, vota sic allegabantur, ut, paucioribus, πολλὰ ἔτη τῷ Μέδοι, precarentur, quod Sverius, ex Lutprandi, ad Nicēphorūm Phacom, legatione, Meurisi glossario usus, monuit. Atque ea actio, quæ tot obsequiū & amoris monumenta continebat, quaque cives Principibus bene fisco precari consueverant, secundum illud ἐν Φιλιππί, nonnunquam etiam ἐν Φιλια dicta est, vel quoque ἐν Φιλια, quoniam cum laudibus ita multis conjugebatur. Sic Leo Grammaticus in Michaelie, Theophilii F. p. 467. ἐργεῖτε ὁ Μιχαὴλ τὸ βασίλεον, καὶ ἐν Φιλιαστανοῖς ποιήσετε Μιχαὴλ, καὶ βασιλεὺς πολλὰ ἔτην. Item Zonar. Tom. I. Annal. p. 168. Φιλάρας ἐν Φιλια ἡ Φίλωνος μητρική. Et Pachymeres, Libr. IX. c. I. de Michaelis, Andronicī F. coronatione χρίστος δὲ ὁ ιεράρχος τὸν Θεόν περι τὸν βασιλεῖαν συμβούλοιο ποιῆσεν εἰν Θεῷ, καὶ ἐν Φιλια. Nos vēto, tantis exemplis, non tam offici nostri, quod nunquam deservimus, admonemur, quam potius recta conscientia testimonio confirmamur, & hic a nobis et semper facta esse, & fieri, quæ religio, quæque iure suo Princeps a nobis exigunt, quin & nos ea, non coactos lege aut edicto, sed ultro, inque isto cultu defixos plane, omnia, quæ fieri possint, efficere. Domi nostrum quisque de Domino suo reverenter cogitat, eidem, omni voluntate, bene precatur: non semel, sed iterum iterumque in dies singulis ipsi nostrum nos acclamamus Feliciter! idque, tam privatim, quam publice, ut salvus ipse fortisque sit, ac perenniet, in oportuis habentes, fructu etiam precum nostrarum haud defititumur. Valer, quod Deus precibus nostris largitur, Immortalis, & vulnera nostra, anno superiora facta, sanavit, Patrie Pater optimus: amat nos Maria Iosepha, Augusto creta sangine, fortunaque ob id augulta dignissima, quod per ipsam tot fulcris Serenissima Celsissimaque gens Saxonum, rursus mutata, metuque orbitatis depulso, sibi ipsi denuo afferta est. Adolescit ad spes omnes, exemplis domesticis adiuta, Soboles regia & principalis quam felicissime, nec Parentibus magis, Augustissimis, quam civibus ipsis, utrumque Delicia, ignumeras gratulationes parturit.

turit. Nunc vero, qvod felix faustus fortunatumqe sit, quid precibus, omnibusque piis valeamus, maxime nobis experendum est, quando tantus paternae virtutis exultus eo etiam processit atque adductus est, ut Parenti suo Divo non par haberetur faltem, sed omnes etiam istos, quos ille gesserat, & ipse homines mereret pariter, atque capesserent. Vide eundem in principali, cum imperio, atque Electoris dignitate, constitutum fastigio Saxonia, eundemque, quantum fieri ab hominibus posset, divinitus sibi datum, & admiratur, & colit; sed Regem sua sibi in orbitate Sarmatarum prudentissima aequa ac forefirma gens cum circumspiceret, Augustus maxime his nosfer, qui bene animati erant, placuit, quodcum dignissimus Augusti II Successor erat, Tertius ipse electus, sulcuratus, & sacro solennique ritu, die XVI Ianuarii Calendas Februario*s*, in regia Cracovien*i*, inauguratus est. Ita igitur dolore, desiderioque suo defuncta, plausus edit, gaudii felicitatisque sua symbolum: nos in societatem ejusquo libentiores frequentioresque coimus, quo solemnis jam pridem nobis fuit vota precesque nostras, cum cadem, pro salute ac in columitate Regis Principisque nostri clementissimi, non interrupta pietatis contentione, conjungere. Ratum ipse Deus, quod factum est, habeat, atque ita res ordinet, ut hoc ipsum, Sarmatis aequa, ac Saxonibus feliciter eveniat, omnique Europa pacem, tranquillitatem, orium concordiamque afferat, cuiusctorumque mentes ac sententiae cum ipsius Dei voluntate contentiant, & qua ipsius auspiciis ad Augustum III divina potestas translat*a* est, divinis praefid*a*, ab omni invidia, obrectatione ac malevolentia vindicata, muniat, omnibusque tempestatibus ac procelsis sopitis, perpetuo confirmetur. Est regnum illud, tanquam munimentum, barbarorum excursionibus oppositum; sed & heroas electos, virosque habet, qui impetus eorum sufficiat, frangant, cohabeant; ac ictis Reges etiam praefueri semper, qui res domi sapienter moderarentur, bellaque ipsa fortiter administrarent ac propulsarent, & aurea ubique condenser secula. Effecit hac cum primis. Divus Augustus Secundus, continuab*it* ea tempora, Tertius: cui etiam per Deum bonum & clementem cum data sint omnia, hunc tandem Numen ipsius divinissimum quasi cumulum addat, ut his, que minari velint, dissipatis, ipse, qui Sarmatis pariter atque Saxonibus diem, quasi Sol, reddidit, utrisque diutissime fervetur, sine omni tenebrarum metu & periculo luceat, nunquam occidat. Multa oramus, oramusque continuo, aliaque Regi precamur & Principi, alia regno & provinciis; bene ac pie precamur Regina, Soboli familiaque celissime, Cognatis item Serenissimis; precamur Ministris, fide, rerum experientia & dexteritate sua eminentissimis; precamur denique & nobis ac rebus nostris: sed omnium votorum summa est: SALVS AVGVSTI. Vita ejus diurna sit, aeterna Majestas. Haud dispergit O>stavio nautarum Alexandrinorum carmen, per illum se omnes vita commoditates obtinere, profertum: nos, secundum Deum, per Augustum studemus, docemus ac dicimus; & si tenuis res nostra sit & umbratica; tamen & nobis satis erit, si ex his aliquando umbris quicquam lucis prodeat, & que quasi in oculo & obscuro formantur & coluntur, ingenii, in publicum progressa, nomihil ad rem communem utilitatis conferant. Quantum speci sit, ostendunt, boni rectique aliquor animi juvenes per orbem in posterum, quitalia sibi orationum suorum sumerunt argumenta, qua convenient, & in quibus sibi quisque commodissime veritatus videatur. Sed cum patris dignitas & gloria omnibus prae ceteris commendata esse debeat; quilibet evidem eorum, pro ingenii sui modulo, de materia, sermone suo explicanda, differat, sed talibus potissimum, que Historia Saxonica suppeditat, exemplis, in illustri monumento positis, que dixit, illustratus est. Fortunet hoc institutum, qua sola flamus ac nitimur, divina gratia; vestra, Parres, rerumque nostrarum Statores optimi, autoritas, praesentia & benevolentia, ceterum hunc juvenum,

studia

JK Th 1459

studia honesta æmulantium, juvet, ornet ac inciteret: pax vero ipsa, & tempora tranquillitatis plenissima, hæc, quæ pacis sunt, excipiunt opera ac sustentant. Quoniam haud unius voluntate agi possint omnia, sed & causas in his, ubi plures ad partes veniunt, saepe actiones moderetur, nec mensem, nec diem dicturis licet constituere: vos autem, Patroni ubi dicere licebit, toties, quæsio, ad audiendum frequentes conveniatis, quoties digna reverentia invitabimini & rogabimini, precibus ita solis, quibus concendi estis, propitiis nostris indulgentes.

Locuturi, cum Deo, sunt:

- I, *De studio religionis,* Ioh. Frider. Gerhardus, Freiberg.
de amore Parentum, Hieron. Georg. Glaecknerus, Freib.
de cura Sobolis, Christian. Frider. Enderle, Freiberg. Qui,
oculorum sensu Tirefias, tamen se ali-
qua ingenii memoriaque facultate pra-
ditum esse, probabit.
II. *De gaudio ex recta sobolis* Christoph. Frider. Arnold, Mittel-Said.
educatione orto, Ioh. Sam. Dündorfius, Biberstein. Misn.
de pauperum in republica cura,
de Sapientia rerum agenda-
rum remigio, Ioh. Iacob. Colerus, Dippoldiswaldens.
de Magnificentia, Augustus Gelbracht, Strigiae. Miln. Aca-
demia Candidati.
III. *De Philadelphia,* Dieter. Gottlob Lehmannus, Freib.
de fidis Principum ministris, Casp. Godofred. Ringenhain, Dresd.
de animi & corporibus viribus Gotlieb Christianus Otto, Lipf.
inter se collatis, Paul. Christian. Naumannus, Waldheim.
de reverentia superiorum, Christian. Gottlob, Retschius, Dippoldisw.
IV. *De iustitia, arce Principis* Ioh. Jacob Schubarthus, Wegefarth.
tutissima, Ioh. Traugott Oehmius, Dippoldisw.
de fautoribus literarum, Christian. Frider. Kunze, Frauenstein.
de meditatione verbi divini, Carol. Frider. Schwarzenberg. Schmiedeb.
de studio Catechismi, Iac. Frider. Benedictus, Mitweidens.
V. *De pacificis,* Ioh. Gotthelff Seiffertus, Dresd.
de parmonia, Chriffl. Lebrecht Kretschmar, Liebenau.
de senectute honorata, Christian, Augustus Silbermann, Risanus,
VI. *De historia, virtutis nutrice,* Ioh. Godofr. Beckerus, Nauendorf.
de animo injuriarum contem-
tore, Georg. Christian. Trummerus, Freib.
de laborum tolerancia, Ioh. Georg. Wagnerus, Freib.
de Deo, Principum Defensore ac
Propugnatore.

Plinius Libr. VIII. Ep. 12.

Vir est Titinius Capito optimus, & inter præcipua seculi ornamenta numerandus: colit studia, studiosos amat, sovet, provehit, multorumque, qui aliquid componunt, portus, sinus, pramium, omnium exemplum, ipsorum de-
nique literarum jam senescientium reductor ad reformator. Domum suam
recitantibus præbet; auditoria non apud se tantum, benignitate mira
frequentat, mihi cerce, si modo in urbe est,
defuit nunquam.

II C
1459

*De nativis propriis pro magistratu et principiis
atq; magistratus et principis vicissim
pro populo apud Romanos.*

X 23A 1849

Q. F. F. Q. S.

PSAESVLEM SVMME REVERENDVM
ATQVE MAGNIFICVM,
PROCERES, PATRES, PATRONOS,
NOBILISSIMOS, AMPLISSLIMOS,
MVNERIBVS ITEM AC MERITIS SVIS
MAXIME CONSPICVOS,
ET QVORVM SECVM DVM DEV M, OPE ET GRATIA
RES NOSTRA SCHOLASTICA NITITVR,
AVDIENDI FACILITATEM AC STVDIVM,
ALIQVOT FRVGI ADOLESCENTIBVS,
FVTVRO HVIVS ANNI TEMPORE,
MEMORITER PERORATVRIS,
BENEVOLE COMMODANDVM,
DECENTER AC IMPENSE ROGAT
M. SAM. MOLLERVS, G. P. R.

FREIBERGAE,

Imprimebat CHRISTOPH. MATTHAEI,

A. S. R. cl 10 cc xxxiv.



Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Blue																				
Cyan																				
Green																				
Yellow																				
Red																				
Magenta																				
White																				
3/Color																				
Black																				

Farbkarte #13

B.I.G.